



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

Ser. I. De septem signaculis quæ solvit agnus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Meditatio in Passionem Domini. 241

nito Pater, ut catelli bibant de stillis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Foratè cali desuper, & nubes pluant justum illum, Domine, quem æstuare fecisti.* Inclytas primitias populi tui, insigne solemnitatis nostræ illo, quæsumus igneo stillicidio purga, innova, illumina, inflamma, exhilara & confirma; & uni cor credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum unanimiter requirant, ut apprehendant, & videant, & benedicant te DEUM deorum in Sion. Sit individua Trinitati gloria, gratiarum actio, honor, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

De septem signaculis quæ solvit Agnus.

S E R M O I.

Vicit Leo de tribu Juda^a. Vicit planè malitiam sapientia attingens à ^a Apoc. 5.1. fine usque ad finem fortiter, & suaviter universa disponens: sed pro me fortiter, suaviter mihi. Vicit Judæorum blasphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, & de ipso mortis imperio triumphavit. Ubi enim sunt opprobria tua Judæe? ubi sunt fabulæ vasa captivitatis? *Insignes Christi ubi est mors victoria tua? Confusus est calumniator, raptor spoliatus est.* ^b *Christus, inquit*, rex Israel ^b Matt. 27. e *descendat de cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo nequam. Non est hoc Caïpha quod paulò antè dicebas: *Expedi ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*^c. At illud, quia mendacium non ^c Ioan. 11. b erat, non loquebaris de proprio, non à temetipso dicebas. *Si rex Israel est, descendat de cruce*^d, hoc planè tuum est: magis autem eius qui mendax ^d Matt. 27. est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere, ut descendat, si rex Israel est? & non magis ascendat? Sic non meministi serpens antique, quam confusus abscesseris olim cum dicere præsumpisses: *Mitte te deor-* ^e Matt. 4. a *sum, & hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me?* Sic tibi Judæe excidit quod audisti, quia Dominus regnavit à ligno^f, ut regem abneges, quia ^f Psal. 95. c manet in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non Judæis, sed nationibus hæc annuntiatio debebatur. *Dicite, inquit, in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.*

Merito proinde titulum regni præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Judæus (ut voluit) conumpere tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam passionem, & nostram redemptionem. *Descendat* ^{CHRISTI in} *(inquit* ^{Cruce & o-}

pere redem-
ptionis perse-
verantia.
g Efa. 9. a
h Ioan. 19. d

i Matt. 27.

Perseverantia
suadeture-
xemploChristi

Crux Christi
4. gemmis
mysticis exor-
nata.

Quatuor vir-
tutes in Cru-
ce Christi re-
splendentes.

k Ioan. 15. b
l Ioan. 17. a
m Matt. 11. d
n Ioan. 12. c

(inquiunt) *si rex Israel est*. Imò verò quia rex Israel est, titulum regni non deserat: virgam imperii non deponat, cuius nimirum imperium super humerum eius, sicut præcinit Esaias 8. *Noli* (inquiunt Judæi ad Pilatum ^h) *noli scribere, rex Iudæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum*. Et Pilatus: *Quod scripsi, scripsi*. Si Pilatus quod scripsit, scripsit: Christus non perficiet quod incepit? Ipse enim cœpit & salvabit nos. Sed dicunt ⁱ: *Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere*. Imò verò si descenderit, neminem salvum faciet. Cum enim salvus esse non possit, nisi qui perseveraverit usque in finem, quanto minus poterit esse Salvator? Alios ergo salvos fecit: nam salvatione, cum sit Salus ipse, non indiget. Operatur salutem nostram, nec caudam deesse patitur sacrificio vespertino, hostiæ salutari. Novit, inique, quid cogites. Non dabit tibi occasionem furripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. Non fecit obmutescere Prædicatorum linguas cōsolantium pusillanimes, & dicentium singulis: Tu locum tuum ne deserat: quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominis & cogitationes in malum. Sine causa (maligne) parasti sagittas tuas in pharetra: & Discipulorum suspiria cumulas opprobriis Judæorum. Illi quippe desperant, isti improperant: sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis Discipulis, & aliud adversariis confutandis.

Interim *patientiam* magis exhibet, *humilitatem* commendat, *obedientiam* implet, perficit *charitatem*. His namque virtutum gemmis quatuor cornua Crucis ornantur: & est supereminetior Charitas, à dexteris Obedientia, Patientia à sinistris radix virtutum. Humilitas in profundo. His ditavit trophæum Crucis consummatio Dominicæ passionis, cum ad Judæorum blasphemias *humilis*, ad vulnera *patiens*: intus linguis, clavis exterius pungeretur. Nam & *charitas* in eo perfecta est, quod pro amicis animam posuit, & *obedientia* consummata, cum inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usque ad mortem. His spoliare dotibus, hac privare gloria Christi satagebant Ecclesiam, qui dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce*. Nimirum ut non sit jam obedientiæ forma, non incentivum amoris, non patientiæ vel humilitatis exemplum, sed deleri habeant ex Evangelio verba illa suavissima & dulciora super mel & favum: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* ^k. Et ad Patrem: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam* ^l. Itemque ad discipulos: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* ^m. Et, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum* ⁿ. Hoc est enim quod dolet venenati serpentis astutia, exaltatum in deserto

in deserto serpentem æneum, cuius intuitu sanentur vulnera quæ infligitur. Alioquin quonam alio instigante misisse credimus uxorem Pilati ad ipsum dicentem *P*: *Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum?* Timebat ergo jam tunc, sed nunc maximè virtute crucis enervari se sentiens inimicus. Sera ducitur poenitentia; & quos instigavit ad crucifigendum, instigat ad suadendum, ut de cruce descendat. Denique, *si rex Israel est*, inquit, *descendat de cruce, & credimus ei.* Hæc planè serpentis astutia: hæc adinventio nequitia spiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis *1*: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, & noverat, quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur: propterea malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum suggererat ut dicerent: Descendat, & credimus: quasi jam nihil posset obltare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desideraret.*

*o Num. 21 b
Demon Christi de cruce descensum optabat, qui prius miserat crucifixionem.
p Matt. 27. c
q Matt. 15. c*

Sed quid machinatur, aut cui parat insidias versipellis? Nempe ei, in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis nõ apponet nocere ei. Non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda: sicut nec exprobratione blasphema mitissimus omnium movebatur. Eò quippe tendebat malitiosa suasio, non ut ipsi crederent, sed nostra quoque si qua erat fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim *2*, *Dei perfecta sunt opera*: quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Christus respondeat per Prophetam: quæris signa Judææ? *Expecta me in die Resurrectionis meæ 3*. Si vis credere, majora jam tibi opera demonstravi: multiplicavi signa: sanitates perfecisti hodie & pridie, hodie magis habeo consummari. An non maius erat quod vidisti e corporibus obsessis spiritus exire malignos, & de grabatis suis exilire paralyticos: quàm e manibus meis vel pedibus clavos resillire quos infixisti? Sed patiendi tempus est, non faciendi: & passionis horam sicut prævenire frustra conatus es, sic nec poteris impedire.

*Diabolus Christi patientis perseverantia frustra insidiatur.
Deut. 32. a
Soph. 3. b*

Sed si ad hæc generatio prava & adultera signum quærit, non ei dabitur nisi signum Jonæ Prophetæ *4*: non signum descensionis, sed resurrectionis. Quod si Judæus non quærit, amplectatur & gaudeat Christianus. Vicit enim Leo de tribu Juda. Suscitatus est paterna voce leonis catulus: clauso prodiit tumulo, qui de patibulo non descendit. An verò id maius sit, inimici nostri sint iudices: qui tam curiosè munierant monumentum, fingentes lapidem cum custodibus. Hunc enim lapidem magnum valdè, de quo mulieres illæ devotæ invicem querebantur, facta jam resurrectione Dominica; *revolvit Angelus, & resedit* (sicut scriptum est *5*) *super eum.* Constat proinde clauso exiisse tumulo redivivum corpus, quod clauso

*o Matt. 12. &
Luc. 11.
Matt. 28. &
Marc. 16. a*

Sermones S. Bernardi,

H h

Virginis

Virginis utero natum processit in vitam, & ad Discipulos clausis introiit januis in conclavi. Sed est locus unde clausis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula uniuersa contrivit, ut liberè suos educeret quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur portis agmina Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Candidas prorsus in sanguine Agni: quia exiit cum eo & in eo etiam aqua dealbans, & testimonium perhibet ipse qui vidit. Aut certè candidas in sanguine Agni novelli, sanguine lacteo, candido & rubicundo: sicut habes in Cantico Canticorum ^u: *Dilectus meus* (ait sponsa) *candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Inde est quod in stola candida & fulgureo vultu testis quoque resurrectionis apparuit.

a Cant. 5. c

*Favia mor-
tuorum re-
surrectiones.*

a Rom. 6. b

*Præcellens
Resurrectio
nis Christi.
24. Reg. 4. f*

Jam si confutandis Judæorum calumniis sufficere videtur hoc ipsum, quòd clauso egressus est monumento, cui insultantes dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce*: (curiosius namque monumentum claudere & signare studuerant, quàm infigere clavos) si igitur vicit Leo de tribu Juda in hoc ipso processu, & maius demonstravit opus quàm peterent: ipsum jam resurrectionis miraculum cui poterit comparari? Legimus nonnullorum præcessisse resurrectiones, aut magis certè suscitationes, sed istius præambulas, quibus & duplici privilegio noscitur præeminere. Nam cæteri quidem resurrexerant mortui, iterum morituri: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur* ^u. Illi mortui denuo opus habent iterum resuscitari: Christus quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo, vivit in æternitate. Meritò proinde resurgentium primitiæ Christus: qui ita resurrexit, ut cadere non adjiciat, qui solus attingit immortalitatem.

Est aliud in quo Resurrectionis huius innotescat gloria singularis. Quis enim in cæteris omnibus suscitavit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est ut à morte se excitet ipse qui dormit: singulare est: non est qui faciat, non est usque ad unum. Helisæus Propheta mortuum suscitavit ^u, sed alterum, non seipsum. Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod à se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo utique triumphavit mortis imperium in seipso. Inde est quòd cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum resurrexisse, qui solus virtute propria victor prodiit de sepulchro. Siquidem & in hoc vicit Leo de tribu Juda: Quantum poterit imò quid non posse videbitur vivens, & dicens Patri: Resurrexi, & adhuc sum tecum; qui tam potens extitit deputatus cum mortuis, sed inter mortuos liber ^u.

Nec verò resurrectionem distulit ultra tertiam diem, ut Propheta fidelis

In die sancto Paschæ, Sermo I. 245

fidelis inveniatur, qui dixit χ ; *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Decet nimirum, ut quemadmodum caput præcessit, sequantur membra. In patibulo sexta feria redemit hominem ipsa die, qua fecerat hominem initio; sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor novus homo. Ita & nos quicumque sequimur caput nostrum: tota die hac qua plasmati & redempti sumus, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveraverit, & donec dicat spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum deposuere viri iusti: nos ergo dignatione sua Angeli sancti deponant: ut consummata viriliter die crucis secunda, quæ post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei: qui resuscitabit corpora nostra tertia demum die, configurata corpori claritatis suæ. Ecce quatuoriduanus, sicut de Lazaro scribitur α : *Iam sciet Domine, quatuoriduanus est enim.*

Ad inventio filiorum Adam quartam formavit diem, quam à Domino non accepit. Propterea corrupti sunt, & abominabiles facti sunt tanquam jumenta, quæ in stercore suo putruerunt. Divinæ siquidem ordinationis est triduum quod prædiximus, in labore, in requie, in resurrectione. Non placent hæc filiis hominum, sed suam volunt præferre diem, differentes pœnitentiam ut indulgeant voluptati. Non est hæc dies quam fecit Dominus: quatuoriduanus facti sunt, & jam sciet. Non novit hanc, quod de Maria natum est, Sanctum: tertia resurrexit die, ne videret corruptionem. *Vicit, itaque, Leo de tribu Juda* β . Occisus est agnus, sed leo vicit, leo rugiet, quis non pavebit? Leo inquam, fortissimus bestiarum, qui ad nullius pavebit occursum, scilicet Leo de tribu Juda. Paveant qui abnegaverunt, qui dixerunt γ : *Non habemus regem nisi Casarem.* Paveant qui dixerunt δ . *Nolumus hunc regnare super nos.* Redit siquidem accepto regno, & malos male perdet. Vultis nosse quia redit accepto regno? *Data est mihi, inquit* ϵ , *omnis potestas in celo & in terra.* Sed & Pater in Psalmo: *Postula à me, ait* ζ , *& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.* Fortis siquidem leo est, non crudelis: gravis tamen indignatio eius: & intolerabilis ira columbæ. Sed pro suis leo rugiet, non in suos, Paveant alieni: Tribus Juda magis exultet.

H h a

Gau

χ Osee. 7. a

Perseverandū
in Cruce. Ex-
emplo Christi
ante mortem
descendere ante
deponi volentem.

α Ioan. 11. c

Triduum ordinationis divina.
Dies filiorum Adam.

β Amos. 3. b

γ Ioan. 19. c
 δ Luc. 19. c

ϵ Matt. 2. d
 ζ Psal. 28. f

g Psal. 37. b

h Apoc. 5. b

i Marc. 1. a

Septem signacula, septem operimenta Christi maiestatem in carne celantia designant.

Gaudeant qui induti sunt confessione, quorum omnia ossa dicunt: Domine qui similis tibi? Leo de tribu Juda, radix David. Dicitur enim David visu desiderabilis, vel manu fortis: & idem ait &: *Ante te omne desiderium meum: & fortitudinem meam ad te custodiam.* Radix, inquit, David. Non David radix eius, sed ipse radix David: quia portat, & non portatur. Merito David sancte filium tuum vocas Dominum tuum: quia non tu radicem portas, sed radix te. Radix fortitudinis tuæ & desiderii, radix desiderabilis, radix fortis. *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David, dignus aperire librum, & solvere septem signacula eius* ^b. Apocalypsis verba sunt hæc. Discant qui non legerunt: recolant qui noverunt. *Vidi* (inquit Joannes) *in dextera sedentis super thronum, librum signatum sigillis septem, & non erat qui legeret vel aperiret.* Ego (ait) flebam multum quod nemo aperire librum dignus inveniretur. Et unus de senioribus dixit mihi: *Ne fleveris.* Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David. Et vidi, & ecce in medio throni Agnum stantem tanquam occisum: & veniens accepit librum de dextera sedentis in throno, & aperuit librum: factaque est letitia magna, & gratiarum actio. Leonem Joannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occisus est: Agnus accepit librum: Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus est (ajunt Seniores) *Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem.* Non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, ut & Agnus maneat, & Leo sit. Plus dico, ut mihi videtur, idem etiam Liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc librum? Indignum se profiteretur & ipse Baptista Joannes, quo inter natos mulierum major nemo surrexit. *Non sum* inquit ⁱ, *dignus solvere corrigiam calceamenti eius.* Venerat enim ad nos calceata Majestas, Divinitas incarnata: venerat Dei sapientia, sed in libro clauso utique & signato. Quod ligabat corrigiam calceamenti, hoc claudabant signacula libri.

Sed quid dicimus super his septem? An forte triplex animæ virtus, ratio, memoria, & voluntas, & quadrifaria corporis compositio, ex elementis videlicet quatuor, in his septem est intelligenda, ut nihil de veritate humanitatis defuisse noverimus Salvatori? An magis humanitas eius, ipse est liber, & quærenda sunt signacula septem? Septem enim quædam arbitror inveniri, quibus maxime celabatur in carne præsentia maiestatis, ut non posset aperiri liber, & sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim, *Matris desponsatio*, qua partus Virginis, & conceptionis puritas velabatur: ita ut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. *Infirmetas etiam corporis*, qua nimirum plorans, vagiens, lactens, & dormiens, & cæteris subjacens necessitatibus carnis, latebat inter hæc virtus Divinitatis. Sic & *Circumcisionis signum* suscipiens peccati

rome

remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum: & item in *Ægyptum fugiens* à facie Herodis reguli: nec Dei filius agnosci poterat, nec Rex cœli. Quid *trina* illa *tentatio* inimici in deserto, in *pinnaculo*, supra montem? *Si filius Dei*, inquit, *es: dic ut lapides isti panes fiant*. Et item: *Mitte te deorsum* ^h. Neutrū Christus fecit: ut signaretur liber: ^h Matt. 4. a ut falleretur astutus. Deniq; eousq; seductus est, ut haberet jam pro cōstanti hominem esse purum, & in tantam vesaniam superbia cœca proruperat, ut non diceret ultra: *Si filius Dei es: sed, omnia tibi dabo, si procedens adoraveris me*. Sextum est signaculum *crucis*, ubi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus est Dominus maiestatis. Clausit & *sepultura* librum hunc: nec ullum signaculum omnino sic obstruxit, sic occultavit magnum pietatis sacramentum. Sepulto nimirum Domino sola restare desperatio videbatur: adeo ut Discipuli dicerent ^l: *Quia nos speramus*. ^l Luc. 24. e Quis non illo fleret in tempore clausum arctius librum, & non esse qui aperiret.

Sed ne fleveris ultra Joannes sancte: etiam tu noli flere Maria. Procul sit luctus, tristitiæ nebula dissipetur: *Letamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde* ^m. Dignus est Agnus qui occisus est, ^m Psal. 32. a Leo qui resurrexit; postremo Liber ipse dignus est aperire seipsum. Resurgens nimirum à mortuis, resurgens autem virtute propria, & post tres dies sicut prædixerat, testimonium perhibentibus inimicis, & resurgens in tanta maiestate & gloria, indicat manifestè quæcunque prædiximus signacula, vel opera voluntaria non necessaria, nec conditionis fuisse sed dignationis. Qui tu nuper Judæe signabas lapidem monumenti? *Quia seductor ille dixerat adhuc vivens: Post tres dies resurgam* ⁿ. Verè ⁿ Matt. 27. seductor, sed pius, non malitiosus. Denique *seduxisti me Domine, & seductus sum*, ait Propheta ^o vester in persona vestra: *fortior me fuisti, & invaluisti*. Seduxit vos, ô Judæi, in passione: nam in resurrectione invaluit & prævaluit vincens Leo de tribu Juda. *Etenim si cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent* ^p. Quid ergo facturus es? Et prædixit, & jam revixit. Diligenter explora signaculum sepulturae, apertum est enim. Datur tibi signum Jonæ Prophetæ: quia & prædixit ipse ^q. Egre ditur Jonas de ventre ceti, Christus de corde terræ tertia die procedit. Nisi quòd manifestè plus quàm Jonas hic: qui semetipsum viriliter & ab ipso utero mortis eduxit. Propterea viri Ninivitæ consurgent contra vos in iudicio; propterea ipsi iudices vestri erunt; quia Propheta obtemperaverunt; vos, nec Domino prophetarum. ^q Matt. 12. d & Luc. 11. d

Ubi est quod dicebatis ^r: *Descendat de cruce, & credimus ei?* Crucis ^r Matt. 27. c signaculum dirumpere voluistis, promittentes ad fidem vos introituros.

Ecce apertum, non disruptum est: introite. Alioquin si non creditis resurgenti, utique nec credidissetis descendentem. Si vos scandalizabat crux Christi: *Verbum enim crucis Iudæis quidem scandalum est*, ait Apostolus ¹: excitet vos saltem novitas resurrectionis. Invenimus nos in cruce gloriam: Nobis qui salvamur, Dei virtus est: & omnium (ut ostendimus) plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in resurrectione. Sed forte & illa, imò multo magis illa vos scandalizat, & odor vitæ nobis in vitam, vobis est odor mortis in mortem. Quid ergo insistimus? Non sustinet audire symphoniam & chorum senior frater ²: occisum nobis saginatum vitulum indignatur. Foris stat, omnino non acquiescit intrare. Ingrediamur nos Fratres, & epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, etenim *Pascha nostrum immolatus est Christus* ³. Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, & charitatem.

St. Cor. 1. d

Luc. 15. e

1. Cor. 5.

Quid nobis hodie
diurna solemnitas
commendat ad mores.

In hæc quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit: non rediit, sed transiit; transmigravit, non remeavit. Denique & ipsum quod celebramus *Pascha*, transitus, non reditus interpretatur: & *Galilæa* ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. Credo jam aliquorum ingenia prævolant: & quorum sum hæc velint tendere, suspicantur. Dicimus tamen breviter: præsertim ne devotionem vestram in tanta solemnitate sermonis videatur prolixitas onerare. Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem & vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset: ego eum, fratres, non transiisse dicerem, sed rediisse: non transmigrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse priorem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum? vocat in *Galilæam*. Propterea siquidem quod mortuus est peccato, mortuus est semel: quia quod jam vivit, vivit non carni, sed Deo.

Pascha, id est
transitus, mo-
ret nos non re-
dive ad roma-
nam seu pri-
stina vitam.

Quid nos dicimus qui sacram Domini Resurrectionem *Paschæ* præ-
vamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quam in transitum? Luxi-
mus his diebus, compunctioni & orationi, gravitati & abstinentiæ dediti;
ceterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere &
diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi: complan-
tati ei denuo sumus per baptismum quendam lachrymarum, penitentia,
confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc
in illo? Si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc in
eandem? Inveniemur nunc iterum curiosi ut ante, verbosi ut ante, pigri
& neq

In die sancto Paschæ, Sermo I. 249

& negligentes ut ante: vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitiis quæ tam anxie deploravimus his diebus. Lavi pedes meos; quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam: quomodo induam eam? Non est transmigratio hæc, Fratres: non sic videbitur Christus, non hoc iter quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retro respicit*, indignus est regno Dei.

* Cant. 5. b

* Luc. 3. a

Sic amatores sæculi, inimici crucis Christi, cuius in vanum accepto nomine dicuntur Christiani: toto hoc tempore Quadragesimali ad instantes inhiant dies Resurrectionis, heu, ut liberius indulgeant voluptati! Obnubilat, Fratres, solemnitatis lætitiæ materia tristior: sed ipsius plangimus solemnitatis injuriam, quam dissimulare non possumus nec in ipsa, imò minus in ipsa. Proh dolor, peccandi tempus terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris! Ex hoc nempe comestiones & ebrietates redeunt, cubilia & impudiciæ repetuntur: & laxantur concupiscentiæ fræna: quasi ad hoc surrexit Christus, & non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum quem suscepistis? Venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu: castigantes corpora, eleemosynas impendentes; & ecce susceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio esse potest lucis ad tenebras; Christi, cum superbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præsentis debetur quàm venturo? Quid minus reverentiæ Resurrectionis tempus exigit quàm Passionis? Sed vos (ut manifestum est) neutram honoratis. Nam si compateremini, & conregnaretis: si commoreremini, & confurgeretis.

NOTA
Abusum Festorum solemnium, apud plerosque Christianorum.

Christianos in festo carni fræna laxantes graviter arguit.

Nunc autem ex sola consuetudine temporis & simulatione quadam humiliatio illa processit, quam non sequitur exultatio spiritualis. Propter hoc, ut ait Apostolus², multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Propter hoc crebra in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. Quid enim? Deprehensi estis inter angustias prævaricatores, non qui prævaricati estis, sed qui perfistitis in peccato, addentes prævaricationem, aut penitus impenitentes aut tepide penitentes: nec pericula fugientes, vel post miseram experientiam incentiva peccati. Irretivit vos inimicus perplexis (ut ait scriptura³) nervis testiculorum. Si hæc conscientia Christi sacramenta refugitis: nihil vobis commune cum Christo, non habetis vitam in vobis. Ipsum audite dicentem⁴: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si indignè suscipitis, iudicium vobis manducatis, sanctum Domini non dijudicantes. Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde

Falsa Penitentia.
1. Cor. 11. 8

2. Job. 40. b

3. Ioan. 6. f

NOTA.
Falsa Pœnitentia indicium est non fugere occasiones.

corde quærite Dominum, & odite malum : pœnitentes non verbo tantum & lingua, sed spiritu & veritate. Quia verò non satis cecidisse piget hominem (ut videtur) quia adhuc manere disponit in lubrico: aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. Alioquin timendum valde, ne dies ista (siquidem & ipsa posita est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel) reprobet vos vel tanquam manifestè alienos à Christo, Christo non communicantes, vel tanquam socios Judæ in quem intravit Satanus post buccellam.

Sed quid ad nos, fratres, de his qui foris sunt judicare, nisi quod in eodem nos fuisse laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, sola misericordia operante, in quo miserabiliter eos detineri fraterna charitate dolemus? Utinam autem vel nos jam sanctificati, & penitus alieni ab hac misera & sacrilega consuetudine inveniamur, nec quicquam in nobis pereat aut minuatur de exercitio spirituali sacrae resurrectionis adventu, sed transire magis & excrefcere studeamus. Quicumque enim post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam divinæ miserationis excedit, ingreditur novam quandam devotionem, & gaudium in Spiritu sancto: nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoria & inflammatur æternorum desiderio præmiorum: is planè est qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo charissimi, si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera DEI sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram^b: ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vitæ ambuletis, ut à sæculari lætitia, & consolatione mundi per compunctionem, & tristitiam quæ secundum Deum est, ad devotionem sanctam, & spiritualem vos transire gaudeatis exultationem: ipso præstante qui transivit ex hoc mundo ad Patrem, & nos quoque trahere post se, & in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui super omnia Deus benedictus in sæcula, AMEN.

Spiritualis resurrectionis nota.

^b Coloff. 3. a

TEMPORE PASCHALI AD ABBATES,

De Lectione Evangelica:

^a Marci ult.

Maria Magdalena, Maria Jacobi, & Salome, &c.

SERMO II.

^b Ephes. 3. c **A**ccepimus ab Apostolo habitare Christum per fidem in cordibus nostris^b. Unde videtur non incongruè intelligi posse tamdiu Christum in nobis vivere, quandiu vivit fides. At postquam fides nostra mortua